

9

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
COMPRESSione

QVAM
AVCTORITATE
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN ALMA ET PERANTIQA HIERANA,


S V B P R A E S I D I O
DN. D. JOH. HIER. KNIPHOFII

ANAT. CHIRVRG. ET BOTAN. PROF. PVBL. FAC. MED. ASSESS. ORD.
ET P. t. DECAN. ACAD. CAES. NAT. CVR. ADI.
ET BIBL.

PRO GRADV DOCTORIS
AC PRIVILEGIIS IN ARTE MEDICA
LEGITIME IMPETRANDIS
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTIT
JOH. ADAM UMLAUF,
STADTWERBS EICHSFELDENSIUS.

H. L. Q. C. d. X. Maji CCCCCCLIV.

ERFORDIAE
Stanno HERINGIANO ACAD. TYPogr.





§. I.

laram statim nobis ideam vocabu-
lum *compressionis* excitat, deri-
vatum a verbo primitivo premo,
quod cum pondere alicui rei in-
niti innuit.

§. II.

Variae hujus verbi sunt significaciones, quas in
medium proferre eo facilius supersedemus, quo notio-
res, vulgatioresque sunt omnibus, qui ejusmodi rebus
indagandis dant operam.

§. III.

His vero omissis, ad nostrum institutum quæ per-
tinet huc acceptationem refero medico-legalem, ubi
comprimere aliquam, satis physice explicat invitam vir-
ginis deflorationem, vel coactum cum vidua congres-
sum.

DE COMPRESSIONE.

sum. Denique Medici morbos organicos considerantes partium mutatam innuerunt figuram modo externam, modo internam, & in hac cavitas naturalis vel augetur, vel imminuitur; hoc contingit vel cavitatis obturatione per viscosum, grumosum, calculosum &c. vel angustatione a tumore in substantia vasorum nata; vel laterum mobilium *compressione* a causa externa, quod vocant *saptivus*; vel coalitione laterum; vel collapsu cavitatum. Minime vero PARACELSO subscrimus, per compressiones thoracis intelligenti omnes morbos ventriculi, qui fiunt a tartari vitio. l. 2. de tartar. tract. I.

C. 2.

§. IV.

Corpus humanum ex partibus fluidis & solidis compositum existere, tyroni quoque medicinæ, anatomia primis labris degustata, non ignotum est; omnesque partes solidas sic dictas molles in specie canales ex fibris ad motum aptis esse compositas ad veritates physiologicas refertur; gaudent nempe virtute elastica, pollent vi automatica, expandi patiuntur, & se ipsas contrahunt; in angustius spatium coactari permittunt, & in pristinam altitudinem s. magnitudinem se extendendo resiliunt; conf. Illustr. HOFFMANNI Med. ration. systemat. Tom. II. Pathol. General. C. II. §. 13. unde evenit, ut proportionata quantitas sanguinis atque humorum cor & vasa alternative distendat; id quod fibræ laterales vasorum quidem permittunt, sed se mox restituent, contentum sanguinem authumorem propellunt. Observatur itaque in corde atque arteriis systole & diastole; in ventriculo, intestinis, vasis biliaris, urete-

DE COMPRESSIONE.

5

ureteribus, urethrā, omnibusque canalibus excretoriis motus peristalticus; in omnibus reliquis fibris motricibus motus tonicus sive extendendi & contrahendi potentia. Hæ primariae sunt causæ liberæ circulationis, quæ sanitatem atque vitam sustentat.

§. V.

Possunt vero fibræ ac vasa ab abundantia contentorum nimis expandi atque elongari; possunt quoque fibræ canales viscera atque organa per externam cuiusdam rei applicationem coerceri, ubi illud compressionis causa ab intra versus externa; hoc vero causa externa versus interiora constringens erit. Utrumque Medicum dupli diverso modo occupatum reddit. Modo enim compressionem Medicus juxta indicationes suadet in salutem hominis, ut præsens sanitas conservetur, aut amissa restituatur; modo compressio præternaturalem statum inducens, remotionem postulat; mentem nostram sequentia clarius explicabunt.

§. VI.

Egregium ad statum naturale pertinens exemplum nobis praebet infans modo ordinario exitum ex utero affectans; hic enim inclinato capite internum ureri orificium perrumpere occupatus, pedes ad dorsi matris spinam applicat, ut firmum habeat locum cuius renifū adjutus, eo facilius intra ossa pubis penetrare possit, semper vero infantis clunes matris abdomen in ingentem attollunt tumorem, quæ fedens omnem egrediendi fœtus laborem eludit, quoniam abdomen cedens resistere nequit. Quodsi vero suau expertissimarum obstetricum parturientes, primos partus do-

A. 3

lores

Iores dorso columnæ vel parieti applicato stantes sustinent, omnium musculorum abdominis tendinibus in linea alba concurrentibus contractione, fœtum abdomen matris podice attollere impediunt, eundemque suffulciendo comprimunt, quo fœtus majus robur ad exundum accipit. Pariter si sellæ obstetriciæ, vel lecto ad partum allevandum facto, incumbens, memorato abdominis tumore adstantibus terorem, de minus prospere actu partus cedente, incutit, adstans tantum mulier vola manus parturientis umbilicum tegat, & fœtus podicem modica, sufficienti tamen, compressione suffulciat, quo se extendere non impediatur; compressione tali parturiens non solum doloris tensivi, haec tenus a præternaturali abdominis extensione percepti levamen sentiet, sed etiam mater a perruptione uteri præservatur, quæ tali symptomate non raro contingit; & labor partus abbreviatur, dum contractio musculorum abdominis & uteri fœtum excludens sic adjuvatur vel augetur.

§. VII.

Itidem fœtus, omnibus viribus corpusculi sui collectis, angustias superaturus, beneficio creatoris hiantia cranii ossa vertice in acumen complicat, universoque capiti coniformem figuram conciliat; hic conus eo longior atque tenuior evadit, quo proiectior æta te mater existit, & quo solidiora ejus ossa pubis, artiusque unita exclusioni fœtus resistunt, conf. EXCELL. DN. PRAESIDIS dissertatio *de capite coniformi*. Talis fœtus capitis figura cylindrica maneret, nisi post exclusionem statim compressione adjuvaretur, & in globosam

DE COMPRESSIONE.

7

bosam mutaretur. In robustiori infante interdum quidem hoc contingit, sanguine sat forti impulso ad caput delato, ossa cranii æqualiter distendente, causa interna versus extra agente, etiam excessivus clamor & capitatis atque faciei muscularorum motus non parum contribuit; tamen tamen atque citius naturalis redditur capiti figura artificiosa compressione, qua vola dextræ manus mento atque faciei infantis, sinistræ vero vertici applicatur, & reiteratis vicibus caput comprimitur.

§. VIII.

Mox iu lucem editus infans immediatus, quod ipsum & matrem intercedit commercio privatur, deligatione funiculi umbilicalis, ejusdemque compressione fascia umbilicali instituta: quia enim ex una vena & duabus arteriis funiculus constat, multi infantes haemorrhagia perierunt, quibus, discisso, aut abrupto funiculo, negligentia, ant studio infanticidarum umbilicum comprimere fuit omissum.

§. IX.

Non tantum vero compressio funiculi umbilicalis ad intercipiendam haemorrhagiam facit, sed etiam justam portionis funiculi ab umbilico separationem adjuvat, dum hoc funiculi frustum intra splenium repositum planius constringitur, ipsique ornis advectionis nutritionis denegatur, & simul nominata vasa in umbilico arctius coeunt atque consolidantur.

§. X.

Duos adhuc alios usus pariter notabiles praestat umbilici compressio, respirationem firmat, & meconium

nium expellit. Infans uterum inhabitans respiratione carere potest, nutrimentum sui corporis a matre per funiculum umbilicalem accipiens, placenta uterina cooperando vices pulmonum supplente; in lucem vero editus aëre ad vitam sustentandam atque continuandam absolute indiger. Quomodo vero respiratio fieri posset absque expansione pulmonum? absque descensu diaphragmatis & viscerum infimi ventris, quæ cedere coactæ musculos abdominis extorsum premunt, & hi se alternativa actione restituere necessè habent, & tali labore nondum assueti, tenerioris texturæ atque molles, egregie ad functionem obeundam per fasciam abdomini circumductam umbilicalem roborantur.

§. XI.

In sensus non tam distincte incurrit necessitas muscularum abdominis ad respirandum, sed in depositione alvi voluntaria eorum contractio clarius patet. Et videmus, infantes recens natos, abdomine tumefacto, alvum non exonerare, quod colon meconio repletum se valde extendit, & viscera infimi ventris simul intumescentia versus integumenta communia extorsum premunt. Robores, hoc est, comprimas modo abdominis musculos, & augebis simul motum intestinorum peristalticum, quod optime per spleniolum umbilicale & fasciam compressoriam circa abdomen ducentam fieri potest; & alvi exonerationem naturali mechanismo promovebis, quæ non obtinebitur per infantis oblatum amygdalarum dulcium oleum relaxans, aut acidum absorbens, quemdam pulverem terrestrem; illo enim relaxatio intestini jam praesens augetur, hoc vero.

vero meconium sua natura viscidum spissius redditur, unde meconii eliminatio sic non obtinetur, quod ligatura abdomen comprimente bene succedit.

S. XII.

Frequentissimum recens natos affligens symptoma, ab adhuc debilibus abdominis communibus integumentis, musculorum tendinibus in linea albae funiculi umbilicalis insertione nondum satis firme consolidatis, eaque propter ad dilatationem aptis, occurrit exomphalos. Retentum enim diutius paulo meconium facillime corrumpitur, teneriorem intestinorum substantiam acrimonia sua irritat, unde infantes enormem, quem patiuntur, dolorem continuus clamoribus produnt. Clamor & ejulatus fieri nequit, nisi praecedente aëris inspiratione, diaphragma ea depresso causa viscera infimi ventris comprimit, quæ eo in loco protruduntur, ubi minimam inveniunt resistentiam, unde in umbilico aut peritonæum nimis distenditur, aut plane disrumpitur, & intestinorum prolapsui, vix fine operatione curabili, occasionem præbet. Omnia hæc evitantur confieta umbilici cum fascia atque supposito spleniolo compressione.

S. XIII.

In utero materno adhuc residens fœtus ad movendum corpus magnopere juvatur, quod liquori amni innatet, capite, quoque versus fiat motus, porrecto, si, quod secundum naturæ ordinem fieri afolet, attenditur; sive quod fœtus capite potissimum viribus præditus fundum uteri versus matris cavum abdominis profui incrementi ratione commodius extendere posse;

B

sive

sive collum cum reliquo corpore in minori volumine majori partium copia gaudeat, & specifica gravitare inferiora petat, & hanc ob causam, prout mater stat, ambulat aut prostrata jacet, erectum in utero situm affectans se moveat; attamen contingit, ut inculta corporis matris motione inclusus foetus in taleni comprimatur posituram, quae ipse liberam, sese movendi, potestatem adimit. Hujus foetus circumvolutionis & in irregularem posituram compressionis causae sunt: si mater ex alto pondus gravius, manibus supra caput protensis viribus intentioribus dimittere contendit, tunc abdominis musculi fortiter tensi, foetus posituræ vim compressione inferunt; eadem est ratio, si pondus insigne e terra atollere allaborat. Talem vidi natam puellam, quæ, capite dextro humero arctius admoto, complicata, in utero per aliquot septimanas, non sine matris dolore, gestata fuit; foveam in latere colli dextro inde subortam spleniolem globosem impleri, & apta fascia caput ad sinistrum comprimi curavi; hac in oppositum latus compressione intra annum ortostadia redita est puellæ, ceteroquin formosæ.

S. XIV.

Alia puella juxta ordinem naturæ, præeunte capite, in lucem magnis edebatur conatibus, cuius difficultioris exclusionis causa erat funiculus umbilicalis cruribus atque femoribus complicatis circumvolutus; haec fasciis atque linteis involuta genua semper consueto modo flectebat, quorum extensionem ut restituerem tendinibus muscularum crus flectentium brevioribus, suaserui, ut herba serpilli citrati atque majoranae cum vino

DE COMPRESSIONE.

II

vino ebullirent, cui linteamina intincta, iterumque fortiter expressa, caloris gradu naturali convenienti applicarentur, & genua mediante involutione fasciarum quotidie magis comprimerentur, unde successive genuum articulationem & in rectam lineam extendere & ad voluntatem flectere didicit.

§. XV.

Quam vile & nauci a plerisque habetur occupatio, linteaminibus pusillum involvendi, tamen mulier, cui infantis demandata est cura repurgandi, lavandi, gestandi, si involutionis & gestationis enchireses callet, pusilli membra sana conservat. Ita nostrates solent majori linteo ad universum infantis corpus involvendum in mensa explicato, minus linteum imponere, cuius extremitatibus lateralibus brachia involvuntur & ad latus retrahuntur, quo infans brachia situ naturali retinere assuecit, neque humeros antrorum nimis trahens gibbosus evadit, neque claviculis sternum fortiter comprimens, monstrosum pectus accipit.

§. XVI.

Majoris adhuc momenti enchiresis est, qua puerorum scrotum cum pene attollitur, & linteoi, cui nates impositae, extremitas intra femora sursum replicatur, postea vero femora æquali extensione involvuntur. Procul dubio, sicuti mihi, ita aliisque observare licuit, hac manipulatione neglecta, compressa genitalia fuerunt intra femora posita fasciis involutorum puerorum, qui proinde ob dolores sat atroces magnis & continuis clamoribus extensionem processus peritonæi efficiunt, unde & herniæ inguinales & scrotales oriuntur.

B 2

§. XVII.

DE COMPRESSIONE.

S. XVII.

Pauci ad situm vasorum in corpore humano atten-
tum applicuerunt animum. Dum circulatio sanguinis
ad vitam continuandam absolute necessaria existit, laesio
lapertura vasorum sanguiferorum hominem haemorragia
vita privaret; compressio latera vasis coarctans tran-
situm sanguinis impediret; extensio nimia vasa angu-
stiora redderet, ut sanguis aequali quantitate permeare
non posset. Sapientissimus conditor & cor & majora
vasa spinæ dorsi imposuit, firmo sat munito, & in
anteriori parte viscera obvallantia posuit, ut non faci-
le laesio haemorrhagiam inducens oriri possit. Hic
situs quoque compressionem a causa externa non faci-
le admittit; & ne ultra modum extendantur in arti-
culationibus, in interno latere posita deprehenduntur,
ubi flexura contingit. Reperies majora vasa sanguine-
ra in humero sub axilla, in brachio in flexura cubiti;
in femoribus in inguine; in pedibus in poplite, & in
serius juxta malleolum internum descendentia sub plan-
tam pedis.

S. XVIII.

Tonus fibrarum vasa componentium extensione
in adjacentes partes tale robur exercet, ut in durissimis
quoque corporis partibus sui progressum impressione
depingat, ut videmus arterias duræ matris pulsu at-
que diaftole impedire incrementum ossium bregmatis,
quibus conciliant in interno latere arteriarum simula-
tra; contractione, partes connexas membrum abbreviando
post se trahit, unde omnes recens nati cubitum
& genua flectunt, (etiam si ut concausa numerus muscu-
lorum

lorum flectentium & adducentium earumque fibrarum muscularium copia allegari possit;) imo extremis pedum plantas conversos sibi invicem applicare student. Ante aliquot menses anatomiae ignarus barbi tonsor in pago quodam a puerpera interrogatus: an plantæ pedis introrsum flexæ forsitan aliquid monstri alant? nesciens partem corporis reiterata actione plus roboris acquirere, alia immota relicta; circulan tem sanguinem latera vasorum distendere, & a fibris latera constituentibus contractione propelli, qua actione vasa abbreviantur, & connexum tarsum ad se trahunt, non resistentibus tarsum extendentibus musculis, actione haec tenus destitutis; applicavit ferulas ligneas ad curvis pedibus rectitudinem inducendam, non sine cruciatu & evidenti sanitatis injuria, qui enim putatitiam articulationem monstrofam reddere volebat sanam, eam sanam destruxit. Mulieres ex multitudine infantum suis manibus tractatorum didicerunt, sufficere extre- morum pedum iusta positio & fasciis involutio.

S. XIX.

Non inutile factum judico, in mentem revocare, quæ homini sano compressione mediante contingant. Cibi ore assumti ad subsequentem digestionem aptari non possunt, nisi dentibus in ore constrictis mandantur, conteranturque, quod compressione maxillarum absolvitur. Et saliva admiscenda sponte natura e suis non proflueret rivulis, nisi glandulæ salivales a musculis ad manducandum contribuentibus comprimerentur. Præparati quoque cibi in ore manerent, nisi me- chanismo muscularum linguae ad pharyngem deferren-

B 3

tur,

DE COMPRESSIONE.

tur, & alterna fibrarum muscularium œsophagum componentium actione ad ventriculum deprimuntur. Si enim proprio pondere ad ventriculum descendenter, præstigiator pedibus e fune suspensus, vinum deglutire non posset.

§. XX.

Ventriculi actionem adjuvari tam motu peristaltico, quam respiratione, ubi alternative fibræ musculofæ ventriculi longitudinales & circulares motæ digestionis officinam nunc prorogant, nunc abbreviant, nunc spiraliter contorquent; nunc diaphragma eam deprimit, nunc musculi abdominis sursum pellunt, quod omne compressionis modo explicari potest, inter alia ex Zootomia patet, ubi aves organis ad ciborum in ore præparationem destinatis destitutæ internam ventriculi tunicam duram atque rugosam habent inclusam robustissimis musculis ad contentorum compressionem & comminutionem aptis.

§. XXI.

Chymus ita elaboratus compressione ex ventriculo coarctato per pylorum egreditur, solidum & non satis subactum ulterius perficiendum relinquit, & in duodeno beneficos compressionis effectus patitur. Affluente nempe succo pancreatico chymus adhuc iners atque heterogeneus in egregium chylum homogeneum convertitur; nonne vero hoc compressioni maximam partem tribuendum? hepar, viscus mere vasculosum secernens, & vesicula fellea bilem secretam continens, ut & glandula pancreas substrata a ventriculo magis diffenso urgentur, & quo major copia chymi in ventriculo

DE COMPRESSIONE.

15

culo majore horum liquorum copia indiget, eo magis distensus ventriculus fortius sursum & deorsum premens ductum pancreaticum & cholidochum una cum omnibus visceribus peritonæo coarctatis copiosius fundere irritat; quo minor in ventriculo copia ciborum continetur, eo levius vasa bilaria superne & panreas inferne premuntur, minorque quantitas laudabilium horum humorum in duodenum infunditur. Addo & hoc: quod pancreatis sollicitatio magis pendeat a comprimente cardia, & biliorum ductuum motus peristalticus augeatur a compressore pyloro & principio duodeni.

§. XXII.

Hæcce mecum perpendens progredior ad chylum, de quo probari licet, quod compressione mediante ad sanguinem deferatur. Sive dicas, vasa chylifera, utpote tubi capillares chylum attrahere; sive afferas, musculofam intestinalium tunicam ex longitudinalibus & circularibus fibris contextam, illarum actione ostia vasorum chyliferorum aperire, ut chylus intrare possit, harum vero motu claudi: tamen non obstat, motum intestinalium peristalticum alternative orificia valvularum chyliferorum comprimendo, eundem propellere in vasa chylifera primi generis, quæ ob valvulas semilunares chylo regredienti viam præcludunt, & ab arteriarum mesentericarum hinc inde incumbentium pulsus comprimuntur, ut ad glandulas mesentericas perveniat. In glandulis conglobatis, quales sunt mesentericæ, Illustris HOFFMANNVS fibras propellentes & contentum exprimentes satis specioso argumento statuit. Nonne ner-

vi

vi ad mesenterium & intestina movenda in confinia receptaculi chyli transcurrentes efficiunt, ut intestina ipsa secundi generis vasa chylifera compriment? nonne a peritonæo tenso ab omnibus respirationis motibus participante subjacens receptaculum chyli comprimitur, & in chyli promotione adjuvatur? nonne dia phragmatis tendo, singulis exspirationibus sub ipso positum ductum thoracicum comprimit? nonne arteriæ aortæ truncus descendens ductum thoracicum incumbens comprimit, in quo valvulae chyli descensum impidentes a subsequentibus chyli cylindris comprimuntur, ut in sequentibus chyli particulis ascensu pateat? nonne simili mechanismo chylus e ductu thoracico egressus, a sanguine valvulas venosas venæ subclaviae retrorsum comprimente revertere impeditur?

§. XXIII.

Actum agerem, si multis, quæ, hodie Anatomia adeo exulta, ut fere nil supra, omnibus facilissime patet, verbis machinæ cordis mechanismum describerem, valvulas sigmoideas a sanguine arterioso, tricuspidales vero atque mitrales a venoso comprimi, ut omnis regressus impossibilis sit, & in artificiosissima hac valvularum structura præcipuum propulsionis atque circulationis sanguinis momentum fundatum.

§. XXIV.

Inquirenti in causam, qua ratione e partibus per venas impulsu destitutas, in specie ex pedibus perpendiculari ascensu sanguis propellatur ad oor? arcanorum naturæ scrutator & functionum animalium gnarus demonstrat, hoc partim ex adhæsione fieri, partim hoc legi-

DE COMPRESSIONE.

17

legibus canalium communicantium esse consentaneum; partim a sanguine propulso, ubi sanguis sanguinem, cylindrus cylindrum, pellit, dependere; maxime vero muscularum compressione hoc peragi, & a majori atque frequentiori corporis, ejusque membrorum motu, celeiorem sanguinis circulum excitari, ita ut sufficienti motu corpus excententes sani manerent, atque longævitatem acquirerent.

§. XXV.

Eadem explicatio quoque in massæ sanguineæ depuratione locum habet; quo vividior circulatio, eo minus possibile est, infarctum, oppressionem, stagnationem, scirrhositatem, aliaque viscerum vitia oriri. Sana autem viscerum structura, sufficientem non solum pro secretione sanguinis quantitatem admittit, sed etiam integro atque perfecto tono gaudentes, contractione fibrarum fluida contenta comprimunt, & secretionem partium utilium, in quantum motus contribuere possunt, promovent.

§. XXVI.

Si de excretione lotii, & fecum alvinarum agitur, nemo non concedit, pleniori aëris inspiratione diaaphragma ad inferiora propelli, tam ab hoc quam a musculis abdominis ventriculum, intestina & vesicam urinariam in angustius sparium cogi, ut compressa dimittant, id quod in se recondant.

§. XXVII.

Aër, quo carere non possimus, omnibus corporis animalis humoribus admixtus, tanquam pars constitutiva, elastica sua virute in vasorum latera compressione diffensiva agit, & semper eundem densitatis aut raritatis, gravitatis aut levitatis gradum observat, in quali aër ambiens

C

bienſ

DE COMPRESSIONE.

biens constitutus est. conf. Excell. D. JVCHIT Diff. de *Instrumentis aërometricis*. Unde celeberrimus LANGIVS in erudite elaborata dissertatione non veritus est, hominem aërometrum appellare, corporisque humani affectiones ab aëre dependentes easdem demonstrare, quæ in aërometricis instrumentis observantur. Exemplum ab Illustri WEDELIO allegatur gravioris aëris, instanti tempestate pluviosa in sanum corpus compressione agentis. vid. ej. prope in pticum de mutationibus aëris, quod Dissertationi de Sulphure Goslarensi præposituit. Illustris quoque HOFFMANNVS comprobat, aëris externi compressionem in corpus humanum considerari, ut resistentia actionis aëris humoribus admixti ad latera vasorum versus extra prementis, conf. Ill. HOFFMANNI *Med. Rat. Syst.* Tom. II. Part. gen. Sect. III. C.VII. §. 5. p. m. 416.

§. XXVIII.

Quæ diætetica, & ad commodiorem vitam degendam aliquid contribuunt, in medium proferre, angustia tractationis prohibet, hoc unum notatu dignum propnam, quod, onere quadam capite gestato, homo affuecat imposito ponderi comprimenti ossium corporis sustentacula legitime supponere; genubus rigidis incedens, corporis pondere pedes non adeo delassat, ac ferniflexis genubus progrediens subditos comprimit, quia centrum gravitatis recta linea in os femoris & tibiæ cadit.

§. XXIX.

Doctrina de signis jubet quoque ad tristem sensacionem attendere; sicuti enim dolor tensivus in abdomen flatu intestina distendentes & extrorsum prementes, ita gravativus in capite præternaturale in feri viscidí congettione testatur; gravativus in stomachi regione de dyspepto

DE COMPRESSIONE.

10

pepto quodam, vel cum nausea assumto ventriculi ca-
vum premente; de scirro ventriculi, hepatis, lienis, me-
fenterii, (pro diversitate loci) subjacentes partes compri-
mente monet; gravatus in perinæo, præsentis calculi
vesicæ urinariæ compressionem versus exteriora prodit;
aut a gonorrhœa suppressa congestam in confinio mate-
riam malignam gravitando supposita comprimere; do-
ctor pulsans tumorem arteriæ adjacentem, ejusque diastro-
len impudentem indicat. Punctorum percipit mater
lactans a valis galactiferis repletis, & lacte eorum latera
versus extra premente.

§. XXX.

Quæ manibus & instrumentis in hominum sanita-
tem succipiatur compressio, hic etiam mentionem facere
meretur. Tumor in fronte a lapsu, vel fortii ad corpus
durum ortus illusione, compressione chalybe frigido im-
peditur, ulteriori inflammatione in suppurationem
transire. Ganglion plumbi frusto compressum discutitur.
Trepanatio, operatio chirurgica, qua sanguis propter
fissuram sub ossibus cranií extravasatus educitur, hoc ha-
bet incommodi, ut fere semper cerebri & meningum fi-
bræ, terebra ferrata dilaceratae per foramen in cranio fa-
ctum excrescant, quod autem compressione cum lami-
na perforata intra foramen cerebro, ejusque involucris
applicata optime avertitur, cum fungum cerebri jam fa-
ctum abscindere plus periculi alat.

§. XXXI.

Eadem est ratio omnium vulnerum, quæ consolida-
tionem exposcent; sèpissime enim tunc contingit, ut
fibra carnosæ disciliæ non exakte unitæ, sed extremitati-
bus extrorsum conversæ, in longius excrescant. Talis

C 2

hy-

hyperfarcosis debita compressione retinetur, & si sola compressione consolidari nequeat, imposito linteo spiritu vini balsamico irrorato, obtinebitur.

§. XXXII.

Ulcerum ratio requirit, ut fundus depuretur, & ex hoc sana caro succrescere incipiat; hoc promovetur, si balsama vulneraria mediante turunda imponuntur, & ad hæc retinenda emplastrum imponitur, quæ omnia sufficienter compressa ulceris sanationem accelerant. Magis vero necessaria est compressio in ulcere sinuoso, cuius fundo spleniolum vel pulvillus, quod ob usum, quem præstat, Gallis *Compreſſe* audit, applicatur, quo mediante non-solum in materia purulenta per orificium exprimitur, sed & latera fundi exæte sibi invicem coniuncta concrescunt.

§. XXXIII.

Periculum recentium vulnerum symptoma est hæmorrhagia, quæ peritis quoque chirurgis multum facessit negotii, cum tamen totum sanguinem fistendi artificium in eo positum sit, ut vas sanguiferum læsum in naturalem situm reponatur, aut in eo retineatur; hoc efficiunt linteramina tenius discepta, complicato linteo compressa atque fascia firmata. Nullum quoque aptius obturamentum discissi vasis, ex asserto *Commerc. Litterar. Norimb.*, excogitari potest ipso sanguine prorumpente, qui cum filamentis lintei carpti compresſi, loco & cavitati apta figura quadrantem obicem constituit. Spleniola quoque quorum unum altero maius sibi invicem imposta, (gallis compreſſes graduées) sanguinem efficacius retinent. Conf. D. PETIT differt de modo sanguinem in hæmorrhagiis fistendi. Si quoque hoc in principio sufficienter sanguini probullulanti non resisteret, morita dimidii floreni

reni imposita compressione remoram fatis validam exhibet.

S. XXXIV.

Quodsi chirurgus, venæ sectionem non satis caute suscipiens, plurimas arteriaæ subjacentis tunicas percutit, ut ab interiori dilatata pulsans tumor oriatur, aneurysma vocant; apta in flexura cubiti compressio & deligatio incipientem vel exiguum tumorem sifter, incisamque arteriam consolidabit.

S. XXXV.

Crudelis admodum atque terribilis, ob gangrænam & sphacelum tamen, aliasque causas, ad vitam conservandam, absolute necessaria operatio, artuum, hoc est brachiorum & pedum amputatio, a chirurgo successu optato non perficitur, nisi cylindrus ligneus digitalis, tum fascia conglomerata duos digitos crassa quatuor longa, trunco arteriaæ secundum longitudinem, juxta ejus situm antea imponatur, super injectis spleniis transversis, quæ apto torculari (Tournequet Gallorum) arteriam comprimunt, ut membro resecto, cochlea paulo laxata, abscessam prodat profidente sanguine arteriam, quæ filo acu trajecto & circumligato clauditur. Huius trunci consolidatio iterum solamen accipit a compressione siccis ligamentis carpis, emplastris longis & angustis sub forma stellæ impositis, spleniolisque pariter longis & angustis stellam deligatione repræsentantibus, universumque deligationis apparatum retinet fascia modice comprimens.

S. XXXVI.

Luxatum membrum post sufficientem extensionem debitam exposcit repositionem, quam absque notabili manibus suscepit compressione chirurgus saepe vix perficit, quale exemplum præbent carpi & tarsi ossium dislocationes.

C 3

S. XXXVII.

DE COMPRESSIONE.

§. XXXVII.

Diffractis succurritur ossibus, eadem in situm naturalem restituendo, in ipsoque servando. Illud obtinetur extensione membra tanta, quanta ad reponenda ossis fragmenta sufficit, & extensam partem nunc extrorsum nunc introrsum, nunc sursum, nunc deorsum comprimendo, vel leniter huc atque illuc intorquendo, donec singularē festucæ prominentes sedes nativas obtineant. Hoc fit ferularum chartacearum & spleniorum impositione atque fasciarum circumductarum vinclatura.

§. XXXVIII.

Habeo quod moneam, fasciæ ne nimis laxæ, nec nimis arctaœ constringantur: juxto laxiorem vidi applicatam, ubi ægroti impatientis culpa diffractum membrum repositum e sede sua iterum dimovēbatur, & alia ob jam debilitatas partes magis dolorifica repositione indigebat. Vidi diffractum rustici humerum post repositionem iusto strictius ligatum, gangrenaque emortuum, ubi inenitabilis amputatio vitam miseræ plenam conservavit, sed inhabilis erat ad agriculturam. Vidi ex petulantia fercientem juvenem pedibus & manibus ligatum intercepta circulatione morti traditum.

§. XXXIX.

Hoc itidem generatim tenendum est, de fasciarum applicatione five ad sanitatem conservandam in usum trahantur, quale exemplum præbet lorum equitantium; five ad sanitatem restituendam, quando mulierculæ hypochondriorum ligatura uteri ascensum impeditre volunt, aut vinclatura tumorem pedum coërcere; aut curva membra in naturalem posituram trahere; aut vulnerum labia fascia unire, compressio semper rei proportionata fiat.

§. XL.

§. XL.

1) Qui celerrimo equo vehuntur loro abdominis musculis robur addunt, ne equi caespiratione rumpens peritonæum herniam proferat. 2) Mulierculæ non matrem ascendentem, sed venam cavam vincunt, ipsamque potentia privant, sanguinem cordi reddendi, unde in venis infimi ventris copiose collectus lentescit, & morbos quamplimos. eosque sat graves & periculosos producit 3) expulsiva vinctura, nisi morbo curato, & viscerum labore restituto, serum viscidum ex pedibus venis infimi ventris tradit, quod cum propellere non valeant, ad cachexiam & hydrope via panditur. 4) Curvorum restitutionem nemo nisi anatomia & chirurgia gnarus, neque simul atque semel suscipiat, alias sanguinis stagnationes, muscularum inflammations orthostadiaque magis nociva inducunt symptomata. 5) Exercitatus chirurgus didicit, labia vulnerum ita unire, ut impositum carni filum, minime vero cicatricem videas.

§. XLI.

Præter recensita, alia compressionis genera occurunt; Camarosis exposcit partium fractæ calvaria prominentium compressionem & repositionem. Saccum lacrymale compressore interdum necessitas postulat, de quo videre licet Ill. PLATNERVS in Diss. de fistula lacrymali. Speculum oculi est instrumentum, quod ophthalmatri in cataracta, aliorumque morborum ocularium curatione utuntur, ad bulbum compressione firmandum. Ad tonsillarum, uva, aliaque oris viae exploranda requiritur, ut lingua spatha deorsum comprimitur. Ad retentionem in herniis intestinorum ab apto vinculo sive subligaculo præcipuum expectari potest auxilium sive compressio hat hemisphærio ligneo tornato, sive chalybe contorto elatico, sive scuto rota dentata ad comprimentum idoneo, modo commode gestetur. Uterum prolapsum Exc. D.N. PRAESES apto instrumento sursum in naturalem sedem compressore, vel si mavis dicere, sustentare docuit. Vide Acta Nat. Cur. Vol. V. Obs. XVII. p. 77. sqq. In virorum incontinentia urinæ penis sera compressoria firmatur, ne involuntarie per urethram extiliet.

XL.

S. XLII.

Eandem cum ill. de GORTER soveo sententiam, parturientes tangentem. Aliquoties vidi manum adstantis in regione umbilicali modica compressione applicatam, foetus exitum valdopere juvare, uti §. VI. jam dictum, & maxime in obesis feminis, si propendens abdomen attollendo pro foetus exigentia comprimebatur. Reprehendo, iterumque damno post partus exclusionem abdominis cincturam cum collari mariti ob causas superius allegatas; & experientia convictus post partum abdomen lata fascia comprimi jubeo, sic enim secundinæ facilem exitum inveniunt, lochia ordinaria quantitate effluunt, yasa uteri naturali complicatione successive contrahuntur, uterus situ naturali in se reddit, nulli dolores puerarum observantur, quia fibris uteri contrahendo se restituentibus externa fascia succurritur.

S. XLIII.

Tandem de compressione, qua ornatus gratia in maximum detrimentum sanitatis delectatur juvenis, pauca dicere juvabit. Juvenes tota facie rubescunt, cum fortiori constringant collari collum, non perpendentes, sanguinem per carotides libere ad caput pelli, eodemque constrictis jugularibus retineri. Virgines thoracibus ex robustioribus balanæ baculis consutis hypochondria arctissime constringentes, per aortam sanguinem ad inferiori loco posita viscera & organa pellunt, his visceribus corumque venis compressis sanguinis redditum ad cor denegant, circuloque sanguinis impedito atque turbato menstrui fluxus excretionem turbant, a qua tamen sequioris sexus sanitas pendet: BARTH. TURRIANVS in Biliarria f. 270 recenset de virgine post quamlibet cibationem vomitum patiente, ob scirrum, penes ventriculum, a gestatione chalybis vel ligni gallice *Planchette*, contractum. Dein ventriculum, hepar, lienem, mesenterium aliorumque actiones impediunt, chymificationem, chylificationem, sanguificationem turbant, aliumque comprimendo excretionem fæcum aluinuarum retardant. Juvenis utriusque generis parvis nimis calceis carnem ad ossa compressam vita privant, clavos pedum vocant, incrementum pedum impediunt, incendi seu ingressus robur minuant.

0046282



Dato ✓



DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICA
DE
COMPRESSI^EONE
QVAM
AVCTORITATE
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN ALMA ET PERANTIQA HIERANA,
S V B P R A E S I D I O
DN. D. JOH. HIER. KNIPHOFII
ANAT. CHIRVRG. ET BOTAN. PROF. PVBL. FAC. MED. ASSESS. ORD.
ET p. t. DECAN. ACAD. CAES. NAT. CVR. ADI.
ET BIBL.
PRO GRADV DOCTORIS
AC PRIVILEGIIS IN ARTE MEDICA
LEGITIME IMPETRANDIS
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SUBMITTIT
JOH. ADAM UMLAUF,
STADTWERBS EICHSFELDENSIS.
H. L. Q. C. d. X. Maji CIOIOCCCLIV.

ERFORDIAE
Stanno HERINGIANO ACAD. TYPOGR.